Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 763
Quelle:
Copyright:

Sancte marie III.

Audiat aure pia nos semper uirgo maria. &c.

III. *fol.* 19. Series *Sermonum* LXXIX. brevium et sensatorum de diversis materiis nullo paene ordine. Primum enim locum occupant *Sermones III. de dedicatione ecclesię.* Sequuntur *in Dom. I. et III. Advent. in Nativit. Domini, in Festis S. Steph. et S. Job. in Apparit. Domini, in Purif. S. Marie, in Capite Quadrag. Sermo de Decimis, in Synodo, ad Correctionem Sacerdotum* &c. Ultimi sunt: *In annuntiat. S. Marię, in Festiuit. S. Laurentii, in assumpt. S. Marię, in Festiuit. S. Nicolai.* Cum neque Autorem, neque, an ullibi typis extent, norim, initium *Serm.* I. adtexam. *Facta sunt encenia in ierosolimis &c. Hoc evangelium fratres commemorat perfidiam iudeorum. ut ab illa caueamus. et humilitatem domini. ut illam sequamur. Ait enim. Facta sunt hencenia in yerosolimis. hoc est dedicatio templi antiquitus celebrata est hyerosolimis. et hyemps erat. Qualitate temporis qualitas animorum in iudeis designatur. Frigidi namque erant in amore domini. Exterius uidebantur festa celebrare. sed interius corda illorum labore et dolore plena erant propter inuidiam qua domino inuidebant* &c. *Fol.* 30. insertus est *Tractatus de Antichristo*, qui etiam T. VI. p. 177. *Opp. Rabani* legitur. *Fol.* 64. Sermo *in natale omnium Sanctorum* incipit: *Hodie fratres karissimi festiuitatem omnium sanctorum celebramus. que primo a bonefacio papa constituta est* &c. Ita et *Beda* aliis tamen verbis *Sermonem* quendam in eodem Festo orsus est. Alibi Noster *Gregorium* Magnum *Sanctum* adpellat.

IV. *fol.* 66. p. 2. Brevis *Expositio Orationis Dominicae* tacito Autore, cujus initium: *Pater noster qui es in celis. Vnusquisque homo qui patrem clamat in celis. filius dei debet esse* &c. Subscripta est litera R.

V. *fol.* 67. absque inscriptione gravis *Exhortatio ad Sacerdotes*, quae incipit: *Audite uocem domini uestri patres karissimi et fratres. Estote inquit sancti. quia ego sanctus sum. Et in euangelio Estote perfecti sicut et pater uester perfectus est. Ad uos domini patres et fratres. ad uos sermo iste dirigitur. Vos enim estis qui a deo in opus sibi peculiare eligi meruistis* &c. Quatuor dein statuit, quae hominem maxime corrumpant: *Invidiam, Superbiam, Avaritiam* et *Luxuriam*, atque singula peruadit. Ita ex. caussa: *Subito uenit adolescens purpuratus assuetus commessationibus et ebrietatibus, stupris et adulteriis totus deditus. Confitetur carnis flagitium quod commisit. Sacerdos considerans hominem pleni marsupii diuitiis habundare culpam exaggerat, — Territus adolescens quid*

faciat